



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 124. Legati ad Ciamontium Marescallum pro concordia ineunda a Papa missi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Legatum, „ nisi stimulasses me, ajebat Pa-
 „ pa, Neapolitani regni investituram e-
 „ jusque diploma Reggensi Cardinali
 „ nunquam tradidissem, id tua causa
 „ feci, premissis confisus tuo, quo Hispa-
 „ norum copias, quæ tamen hucusque
 „ non advenere, mittendas pollicitus
 „ es. „ Denique cum ultra non habe-
 „ ret, in quem iram suam effunderet, Bo-
 „ noniæ Magistratus, ac civium præcipuos
 „ adesse jussit, quibus eorum fidem sibi ma-
 „ xime probari significat, Bentivoliorum
 „ tyrannidem exaggerat, ac populo cuncta
 „ vectigalia remittit, unice postulans, ut
 „ Bononienses ad tuendam sacram Sedem
 „ arma capefferent. Verum omnes sese
 „ in ædibus suis continebant, Papæ pre-
 „ cibus flocci pensis.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1510.

§. CXXIV.

*Legati ad Ciamontium Marefcallum
 pro concordia ineunda a Papa
 missi.*

Cardinales proximum Pontificis discrimen considerantes, ac propriæ suæ
 securitati consulere solliciti, denuo sum-
 mis precibus instant, ut eorum consi-
 liis acquiesceret; ipsos etiam Cæsaris, ac
 Hispaniæ, & Angliæ Regum Legatos
 rogant, ut & ipsi eadem Pontifici
 suaderent. Ergo una omnes tanta pre-
 cum

Guicci. l. 9.

Sæcul. XVI
A. C. 1510.

cum vi Papam adoriuntur, ut tandem Joanni Francisco Pico Comiti, Principis Mirandulani Patruo negotium dari consenserit, ut Ciamontium Marescallum adiret, ac cum eo de concordia ageret. Igitur Comes ad castra delatus, summis honoribus excipitur, suaque dexteritate tantum efficit, ut Gallici exercitus vim cohiberet, data tamen fide, Julium legibus sibi imponendis obtemperaturum. Ea res Calvimontium, quid decerneret, incertum tenuit; Regem enim Dominum suum Pontificis gratiam exoptare, haud ignorabat, & quamvis metu anathematis, quo a Pontifice percussus erat, se flecti haud pateretur, nihilominus tamen excommunicationum effectum verebatur; non enim eum latebat, quod Pontificum censuris ex populi ignorantia, atque estimatione, qua in Curiam Romanam fertur, non raro vis accresceret, qua tamen, si Pontifices potestatis suæ limites excedunt, persæpe destituuntur. (*) Aliunde Ciamontius Angliæ Legati minis cedebat, qui inter utrumque Regem amici-

(*) Pœnas Ecclesiasticas vim suam a populi ignorantia atque opinione mutuare, hucusque Theologis incognitum erat; ejusmodi autem pœnis jure etiam affectos, fuisse conquestos, quod Papæ potestatis suæ limites exceßerint, haud rarum est.

amicitiam penitus sublatum iri, eidem Sæcul. XVI.
A. C. 1510.
 declarabat, si Sedi Apostolicæ vim infer-
 re pergeret. Ergo Ciamontius cunctis
 hisce rationibus expugnatus, bidui indu-
 cias pactus est, quo interea tempore se-
 quentes instruebantur articuli.

§. CXXV.

*Pacis articuli Papam inter, & Cia-
 montium Marefcallum.*

I. Tollantur omnes censuræ, dein se-
 mestres induciæ inter Sedem A-
 postolicam, & Ferrariæ Ducem fancian-
 tur. II. Anathemate liberentur Bentivo-
 lii, eisque bona, quæ, ipso Papa faten-
 te, ipsorum essent, reddantur; quoad
 reliqua vero, quæ, priusquam Bononia
 excessissent, possederant, tribunalia haud
 suspecta eligere, eisdem permittatur, item,
 plena præteritorum oblivio illis integra
 fide concedatur, comprehensis omnibus,
 qui vel directam, vel indirectam Bentivo-
 lii opem tulissent, etiamsi Papæ subditi
 forent, eisque integrum sit, in quacunque
 eis placuerit, Italiæ parte commorari,
 dummodo saltem octoginta milliaribus
 Bononia distarent. III. Urbs Mutinen-
 sis Imperatori depositi loco tradatur, ac
 durantibus induciis utraque pars arbitros
 nominet, qui Comaciensem litem ulti-
 ma sententia dirimerent. IV. Papa cir-
 ca

ca